

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

*Diligentia in opere.*

*Temperantia in pretio.*

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

*Gallice atque Hispanice loquitur.*

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (<sup>Grand Hôtel de la Minerve</sup>)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

**Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda**

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX  
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

*Gratuito sumptuum aestimatio fiet.*

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venundantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De proiecta latinitate.* — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

*Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem*

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

**ROMAM** - Piazza del Gesù, 48 - **ROMAM**



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

apud

Gebethner et Wolf

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

Kronika Rodzinha „

Krakowskie Przedmieście, 6.

Montreal

1699, Rue Notre-Dame.

**T. et G. Fratrum Parisi**  
ROMAE in ITALIA  
in foro Campi Martii, 6

**PONTIFICA OFFICINA**  
**CANDELARUM AD SACRA**  
cui Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X  
honores addidere

*Candelae ad Sacra in Americas, in infimam Africam, apud Indos, Sinenses, Iaponios  
atque in Australiam exportantur.*

Novarum earumque latissimarum aedium prospectum damus, quas Fr. Parisi ad Candelas ad Sacra cereasque faculas ad noctem fabricandas recens in Urbe a solo excitarunt, et cuique visitandas praebent per tesseram gratuito apud ipsorum centrale officium, Romae in foro Campi Martii, 6, potentibus distribuendam.

Candelarum « tipus oeconomicus » perfectae exustionis venit lib. (francs) 225 centis Kgr. — Merx nullo iubentis impendio in omnes orbis portus mittitur, dummodo trecentis saltem cereae Kgr. constet.

Colligationes ab officina Parisi adhibitae eae sunt, quae deserti traiectionem in camelorum dorso (viginti dierum iter) facillime perferant.

Commercium epistolare habetur Italica, Batina, Gallica, Anglicana, Theutonica, Hispanica lingua.



Vincentius Rigacci  
officinae conditor  
an. 1789.

Ann. XII.

ROMAE, Kal. Novembribus M DCCCCIX.

Num. XI.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

- Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.
- Diarium Vaticanum. — Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones.
- Annales. — Russorum Caesaris in Italianam adventus. - Hispanicum bellum in Mauritania.
- Publici per orbem coetus legibus ferendis.
- Per orbum.
- Libri recens dono accepti.
- Aenigmata.
- Aegyptii. — Caroli M. Rosinii Comoedia. (Recognovit I. F.).

## IN OPTIMIS STUDIIS LENTE FESTINANDUM

(Cfr. num. sup.)

Iamvero eos compellat oratio mea iuvenes navos et industrios, qui ad scientiam iuris incumbunt. Equidem si vos aut veterem iuris consultorum sapientiam et singularem eruditioem mature spectetis, aut in eorum clarissimorum virorum, qui, litteris vix restitutis, ad ius civile exornandum omnem industriam suam contulerunt, doctrinam et multiingenem totius antiquitatis cognitionem intueamini, facile vobis erit intelligere, quarum rerum quandam veluti praeclusionem a vobis postulet absolutissima iuris prudenter. Sciunt enim omnes quanto et Graecarum et Latinarum litterarum apparatu, quanto eloquentiae studio muniti ad iuris facultatem accesserint in Italia, in Germania, in Hispania, in Gallia huiusc discipline principes. E quorum unanimi consensu tanta que diversarum gentium conspiratione nemo non videt, unam omnium fuisse sententiam, ad ius civile amplectendum non levem et perfunctoriam latini sermonis cognitionem et adumbratam dialecticae tinturam, ut hodie plerique existimant, sufficere; sed cum eloquentiae et litterarum studio totius anteactae notitiae memoriam atque ex omni gente collectam eruditioem requiri. Quandoquidem ut a Dionysio Gothonfredo, viro illo sapientissimo et de civili scientia optime merito, admoneatur, ius civile Romanum, quod sanctitate legum et disciplina omnium exterarum gentium legibus et institutis praeponderat, omnia populorum iura et mores in se comprehendit. Si quis ergo ex hac tanta iuvenum frequentia existeret, qui civilis scientiae elegantiam et ornamenta despiceret, et apud illum clarissimorum virorum auctoritates

nihil valerent, imo vero satis sibi esse duceret ex Institutis, vel etiam ex Pandectis delibare nonnulla, quae ad forensem usum maxime pertinent; hunc ego sane non legum iurisque peritum futurum esse dicerem, sed leguleum et unum de foro rabulam.

Atqui nihil dico de amplitudine iuris canonici, cuius quidem fines longe lateque proferuntur; nihil de innumeris Conciliorum decretis, nihil de tam multis Romanorum Pontificum constitutionibus: quae singula immensi laboris assiduitatem et non impar diurnae vitae studium postulare nemo est, qui non videat. Huc accedit tot iam propagatas esse in utramque iudicii partem opiniones doctorum, ut his unis capiendis vix ampla bibliotheca sufficiat. Quorum sententiam quum ad examen revocari, et si quae falso obtruduntur interpretationes, expungi oporteat, facile omnes intelligunt, totos ingeni nervos et laboris vim maximam esse adhibendam. Quae quum ita sint, prodeat nunc in forum pexo capillo nitidus et barbatulus nescio quis iuvenis, qui vix levi quadam legum et iudiciorum notitia respersus, audeat tamen sese Urbis profiteri iurisconsultum: qui videlicet triduo totam, quantacunque illa est, iuris scientiam devoraverit. Ego quidem audaciam eiusmodi propter aetatem excusari posse non dubito. Mirari tamen satis non possum, quemquam tam amentem reperiri, qui novi et inexperti hominis fidei caussam committat. Hunc quippe et rebus suis et fortunis et liberis pessime consuluisse quis non videt? Cladem quippe subeat necesse est, qui caeco et imperito duce cum hoste confligit. Iuvenes autem, qui sic imparati ad forum accedunt, id quaequo caveant dum iter nimium properant, ne idem, ut in veteri proverbio est, serius absolvant. In ipsis enim optime quadrat

scitum illud Augustini adversus Petilianum, iis scilicet, qui plus nimio festinant, nonnunquam usuvare, ut vestem, aut calceos perverse induant, quae res postea currentibus moram et tarditatem affert.



De theologia pauca dicam, ut inde ceteris disciplinis conjectura amplissime fiat et iudicium. Evidem si e tanta theologorum paucitate, quantam esse videmus, divinae huius scientiae difficultatem et saebras deducere fas est, nemini obscurum esse poterit, quantum amplitudine et dignitate ceteras disciplinas theologia antecellit, tantum illam et ingenii et laboris piae alii exquirere. Nam si rationem recte subducere velimus, pro innumeris prope religiosis familiis, quae hodie in eiusmodi studio unice versantur, paucissimi quidem sunt, qui tam ampliae facultatis non dicam membra omnia et partes, sed partium articulos absolutissime comprehendant. Nisi forte theologos mihi nominas disputatores nescio quos acres et subtiles, qui nihil de abditiis sacrarum litterarum oraculis, nihil de ecclesiasticae historiae notitia, nihil de monumentis tum Graecis tum Latinis sanctorum Patrum attigerint; sed dialecticorum instar rem omnem agunt disputationibus et clamoribus. Ii enim censoria virgula notati e theologorum collegio dispungendi sunt, qui universas quaestiones theologicas frivolis argumentis absolvunt, et vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, edunt in theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularam; et quum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Patribus oleat, nihil ex gravi philosophia, sed puerilibus fere disciplinis; theologi tamen, si superis placet, vocantur. Ex qua gravissima auctoritate cui perspicuum non est quot doctrinae praesidiis debeat esse instrutus, qui praestantissimae facultati nomen dedit? Dubitari plane non potest, quin praeter magnam ingenii vim diurno quoque labore multisque vigiliis ad tam amplam eruditioem comparandam opus sit, sine qua nemo potest iure dici theologus. Evidem si paulo maturius cogitemus quae superiori aetate plena succi et sanguinis monumenta litteris elegantissimis tradita ab iis sunt, qui de rebus theologicis acute simul et nervose scripserunt, compertissimum nobis erit, eiusmodi studia complurium annorum industria, imo vero diurnae aetatis maturitatem redolere.



Verum quid diutius gravissimis disciplinis immuram, quum haec nostra mitiora litterarum studia, quae humanitatem appellant, tantum sibi cum ingenii tum temporis postulare videamus? Nam praepter universam illam ceterarum fere omnium artium,

quam necessario exigunt, notitiam, praeter historiarum, quam Graeci et Latini scriptores memoriae trahiderunt, cognitionem et amplissimam illam ubertatem rerum, quae eruditio dicitur; quanti mehercule laboris est dictionem sibi puram et elegantem conflare, varias dicendi notas internoscere ac multiplices sermonis formas exprimere? Quam paucorum semper fuit orationem sic verbis et sententiis instruere, ut ad veteris eloquentiae decus et maiestatem proxime accederet? Quid vero de poetica facultate dicam, cuius dignitas plusne naturae, an arti, plus ingenio, an industria esset tribuenda, merito viri sapientissimi dubitarunt? Atqui Vergilium, ut auctorem unum afferam, cui ingenium bene limatum et omnibus fere disciplinis excultum, septem perpetuos annos in Georgicorum libris desudasse accepimus. Neque ipse annorum duodecim, quos in divino Aeneidum carmine insumpserat, moram satis esse putavit ad sempiterni eius operis commendationem, quominus illud ut rem informem impolitamque testamento comburi iuberet. Nam quemadmodum Zeuxis ille celeberrimus in tabulis pingendis morosus et difficilis dicere solebat, se diu pingere, quod aeternitati pingeret; ita plane quae immortalitati parantur, diu multumque cogitanda sunt; neque ante de tabula ponenda est manus, quam singula dilucida sint admodum atque ex polita. Quamobrem Horatius in praeclara illa et immortalis ad Pisones epistola saepissime inculcat, multa die multisque lituris esse castigandum, quod propediem in lucem est exiturum: nec quicquam fore elaboratum satis atque perfectum, quod longa mora non concoqueret, nonumque in annum non premetur. Quae sic dicta volunt, ut omnes intelligent, citra sudorem studiumque plurimum neminem in re litteraria fieri sumnum, nec posse paucis annis, ut stulte sibi plerique arrogant, ad veram doctrinae laudem pervenire.

Nec sane mirandum; quum oculis nostris quotidie videamus, succum non habere diurnum, quae nimis celeriter maturescunt, neque diu vigere, quae praepropre et quasi ex tempore gignuntur: contra vero arbores, quae in multas aetas mansurae sunt, altioribus humo defigi radicibus, sero crescere ac paullatim robur et firmitatem tenere.

Quae quum ita se habeant, iam est tenendum, nihil esse solidiori doctrinae noxiun magis aut iniucium, quam nimiam studiorum festinationem. Non cursorum more, sed lente, sed maturo consilio in optimis studiis est properandum. Sat cito, dicere solebat sapientissimus Cato, res fiunt, si sat bene. Quid autem nobis ad scientiae exitum celeriter pervenisse proderit, nisi illius membra omnia et partes plene cumulateque teneamus, aut in ea quid primo, quid postremo loco sit, haud satis percipiamus?

P. LUCENSIS.

### De funeribus Atheniensium

Solemus passim mirari, dum pristinos volutamus auctores, illam reverentiam atque amorem, quibus antiqui mortuos suos prosequabantur. Et quidem iure, ut arbitror, miramur; nam quum tot alii antiquissimi mores in desuetudinem abierint, tot officia a natura hominibus imposita obruta oblitione fuerint, hunc tamen morem, hoc pietatis officium maiores semper servaverunt.

Causam, si quaeasieritis, dixerim esse naturalem illam amoris commiserationem, qua ferimur in eos qui nobis cari fuerunt; nec vero solum hunc affectum misericordiae, sed religionem illam etiam atque mysterium quae memoriam mortuorum cum cogitatione alterius futurae ac immortalis vitae stricte coniunctam, veluti sacram reddunt.

Hanc miseracionem etiam roborat, quod pro certo habuerint antiqui non posse animos defunctorum inferos adire nisi sepulto corpore. Haec sententia tertio quoque verbo apud auctores reperitur v. gr. in libro VI *Aeneidos*, in quo his verbis Aeneam alloquitur Sibylla:

*Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta  
Transportare, prius quam sedibus ossa querunt (1).*

Et si talium defunctorum calamitate videmus comotum Aeneam «... sorteque animo miseratus inquam» (VI, 332), nonne facile erat commoveri eos, qui eiusmodi fabulis adhibebant fidem?

Hane denique religionem muniebat timor deorum inferorum, qui quum sua regna adire inseptulo nefas ducerent, stomachabantur, quod sua non acciperent, id est, animas mortuorum, τὰ κύτων οὐ κομίζεσθαι, ut ait Aelianus (2).

Testimonia quibus hanc religionem antiquorum probem duo habeo praecipua, primum leges et mores, alterum quod saepe in transgressores animadvertis solebat.

Leges atticae, referente Demosthene (3), multa iubebant religionem erga mortuos spectantia. Inter alios hic locus praestantior mihi visus est, in quo iubetur cadavera in viis offensa sepelire, ac latine ita valet: «Mortuos autem in oppidis, quos nemo sustulerit, imperet demarchus cognatis ut tollant et sepeliant et populum purgent eodem die quo singuli mortui fuerint. Denuntient autem de servis domino, de ingenuis, divitibus seu iis qui boni sunt; sin mortuo bona non sint, tamen mortui cognatis denuntiet; si post demarchi denuntiationem cognati non sustulerint, demarchus ipse tollendum cadaver locet et sepieliendum eodem die ... si vero non locarit debeto

mille drachmas aerario. Quidquid autem impenderit, duplum a debentibus exigito». Haec est quaedam pars legis, quam iussu Demosthenis recitavit praeco.

Si autem viatori cadaver offendit, prae angustiis temporis non integrum erat sepelire, debebat saltem iniicere ter manu plena terram in os defuncti, pro sepultura, cuius praestandae facultas non erat; non vero iaciebant glebam in mortuos sed χοῦν, hoc est, terram solutam, quod quidem officium dicebant ἐπιβάλλειν γῆν, seu κόνιν παλύνειν (pulverem conspergere), veriti forsitan, ait Ioannes Nardius, gravem defuncto futuram, si solida atque compacta.

Huius rei immunera apud auctores reperiuntur exempla, inter quae oda illa Horatii ad Archytam, qui inseptulus rogat his verbis nautam transeuntem:

*At tu nauta, vagae ne parce malignus arenae  
Ossibus et capiti inhumato  
Particulam dare...*

Et inferius:

*Quamquam festinas, non est longa mora, licet  
Inlecto ter pulvere, curras.*

Hoc ipsum infelix Palinurus Aeneam inferos adeuntem rogavit, addito iureurando, quod ab incolis tebrarum gravissimum censeri par erat.

*Quod te per caeli iucundum lumen et auras,  
Per genitorem oro, per spem surgentis Iuli,  
Eripe me his, invicta, malis: aut tu mihi terram  
Initice, namque potes... (1).*

Quam alte hic mos mortuos sepieliendi insitus priscis esset, vel ex hoc cognosci potest, quod inter omnes convenerat esse iuris gentium ac religionis, ipsum qui in bello victor evasisset debere terrae mandare victi exercitus cadavera. Videtur haec consuetudo non invaluisse tempore heroum; tamen apud Homerum reperitur inducias esse factas Achivos inter et Troianos ad corpora mortuorum concurrendam. Priamus consilium dat legationem mittendam esse interrogatum Achivos:

*... αἱ καὶ θύγατρες  
πολέμου δυστήκοις, εἰσόντες νεκρούς;  
χίομεν... (2)*

(si forte velint cessare ab horrison obello donec mortuos concrememus).

Legatis inferius respondet Agamemnon:

*ἀμφὶ δὲ νεκρῶν κατακλύμεν οὗτοι μεγαῖροι·  
οὐ γάρ τις φιδώ νεκρῶν κατατεθητότων  
γίγνεται ἐπει τε θάνατοι, παρότι μεταστέψει, ὁλα... (3).*

(quod attinet ad caesorum corpora, non obsto quoniam ea comburemus; nulla enim est venia, qua non statim mortuis gratificemur igni).

(1) *Aen.*, VI, 827.

(2) *Iliad.*, VII, 375.

(3) *Ibid.*, VII, 408.

Fere semper victi inducias rogabant victores ad cadavera auferenda σπανδάς εἰ; νέκρον ἔντεισιν, quas denegari nisi magnis de causis non licebat. Itaque quod templum Delphidis depopulati essent, inducias non concessae fuerunt Phocaensibus in altero bello sacro (1). Itidem post pugnam Tanagram noluerunt Thebani, simili de causa, reddere Atheniensibus cadavera suorum, quamquam deinde sententiam mutaverunt (2).

Haec vero pietas in mortuos habebatur etiam in humiles nulliusque pretii homines; ita historiae celebrant Pisistratum, quod semper comites haberit duos tres portatores pecuniarum, quas aliena in funera impenderet.



Nunc recensebo alios mores Atheniensium minoris momenti, vel potius magis domesticos. Mortuis non solum sepulture honor debebatur, sed etiam anniversaria quaedam, quae si cognati negligebant, nota impietas inurebantur. Haec anniversaria celebabantur tertio, nono et trigesimo die ab humato corpore. Consuetudo vero illa ornandi sepulcrorum floribus et vittis stricte servabatur a Atheniensibus, quibus semel saltem in anno hoc officium excludendum erat. Omnia sepulera, quorumcumque illa essent, sacra erant, heroum vero tamquam sacella habebantur. Saepe numero epitaphiis continebantur maledicta in eos, qui sepulcri religionem violarent, aut eis punitionem deorum inferorum minitabantur; alia imperabant cognatis, ut gloriam monumenti defenserent, poena, si aliter fecissent, amittendae haereditatis.

Ut postremum iam testimonium afferam, quo clavis appareat quanti fieret ab antiquis honos sepulture, scire vos oportet denegari sepulcrum in solo patrio tantum sceleratissimis hominibus, qui si forte post sepulturam scelerum suorum convincebantur, tamquam extremo suppicio exhumati extra limites proiciebantur.

Alia citare non vacat; reliquum est ut nonnullis exemplis confirmem saepe in huius religionis transgressores animadversum esse. Pausanias refert (l. IX, c. 32, p. 6) vehementer Lysandrum punitum esse, quod post pugnam ad Aegospotam hostium cadavera insepara reliquerit.

Maius profecto est, quod apud Xenophontem in libro altero rerum Graecarum legitur. Athenienses enim decem imperatores suos, et quidem a pulcherrima Victoria venientes, capitali iudicio exceptos necavere, quod militum corpora saevitia maris obstante, sepulture non mandaverint, sed proiecerint in fluctus necessitate coacti.

(1) Diodorus, XVI, 25.  
(2) Thucyd., IV, 97, 101.

Si tam severe puniebantur morum istorum transgressores, quid mirum Niciam, egregium Atheniensium imperatorem, iussisse universum exercitum consistere, ut duos tantum peremptos milites sepulturae mandaret? Quid mirum Chabriam Athenensem, maritimorum copiarum ducem, profligatis, inque fugam versis Lacedaemoniis, totum fuisse in legendis sui exercitus cadaveribus, quum tamen, nisi cunctatus esset, facile universam hostium classem deleturus fuisse?

Haec igitur dici in universum de funeribus Atheniensium possunt.

Veruelae in Hispania.

MICHAEL A. RAMOGNINO S. I.

### DE RE LITTERARIA APUD SUBALPINOS

#### DE ELOQUENTIA

**De Clemente Solaro Comite a Margherita, aliisque.**

In hac magna rerum atque animorum commotione, quae, ex ardente bello adversus exteriores gentes, quae aliquot Italiae regiones dominio adhuc premerent, exorta est, nescio quo nomine non pauci Ecclesiam falso insimulabant, quod extraneis nimium faveret in Italicae libertatis perniciem. Hinc convicia in Ecclesiae iura, hinc in sacrum principatum incriminations, hinc in ipsam religionem lamentabiles iniuriae. Tunc complures cives catholicae sapientiae devoti adstiterunt, qui tantum facinus indignati Ecclesiam eiusque Pontificem Maximum ab adversariorum factionibus re et auctoritate nominis vindicavit.

Verum ubi primum novorum temporum aetas adserrexit, vacatione a munere obtenta, insignem laudem est adeptus; res, quibus ipse princeps interfuerat, veluti per otia pacis enarrando, se quoque ac regem ab improborum calumniis, maximo cum honore, vindicavit.

Iuvat memorare nonnullos, qui vel inter populares oratores pertinaci animo iura Ecclesiae et pro incolitate Pontificis M. a potentiorum iniuria sollerter prohibuerunt, atque hostium audaciam Christiana sapientia fregerunt. Sed, si, auctore Tacito, *saudere principi quod oporteat, multi laboris;* quid esset de populo dicendum? Magnam itaque sibi laudem acquisivit inter ceteros Pascalis Tola, Sardus, et iuris civilis in Genuensi archigymnasio doctor, libertatem in subalpinorum scholis sapienter propugnando; Joseph Scavinius, sacrae theologiae doctor, qui divina prope doctrina in primis enutritus, novorum hominum errores strenue ante populares oratores refutavit ac confidenter tuitus est. Nec silentio est praetermundus Victorius Comes a Cambursano, qui, nobilissima gente subalpina prognatus, a prima aetate docile ingenium litteris et altioribus disciplinis excoluit; atque inter populares oratores Augustae Taurinorum


adlectus, Augustae Domui devotus, sed religioni eiusque sanctissimis iuribus devotior, audacter iis obstitit, qui, ut regis auctoritati plus aequo adularentur, sanctitatem maiestatemque Pontificis Romani adversabantur, adtestatus mira eloquentia eius incolumente securitatem Christianae reipublicae contineri.

Sed prae ceteris Clementem Solaro Comitem a Margherita memorabo, qui cum excellentissimis viris hanc nostram aetatem decorantibus est compendens.

Ipse nobili loco natus, etiamtum adolescens, omni studiorum curriculo laudabiliter emenso, admidente potissimum patre, ad publica munera accedere constituit. Qui, experrectum ingenium nactus, brevi admodum tempore, praeter omnium opinionem, ita fuit Carolo Alberto regi carus atque dilectus, ut ad summum regni gubernaculum advocaretur. Quare ad latera regis, atque adeo ad praecipua reipublicae munera admotus, eius consilio externas regni rationes ita curavit, ut illis temporibus, magnus parvi regis minister iocose passim dici mereretur. Sic per sexdecim et amplius annos praecolla fortitudinis et prudentialiae documenta edidit, et singulari virtute et gravitate ex summa rerum difficultate sese expedivit. Quae quidem administrari gloria in regem saepe redundavit, atque in felicitatem populorum et solamen refluxit.

Utinam nostri doctrina hac germana mentes suas excolant; quorum aures permagni refert, optimis consiliis sanctisque adsuescere.

SUBALPINUS.



AUCTOR AD SE IPSUM  
EMENSUS A NUNCUPATIS VOTIS RELIGIOSIS  
ANNUM QUINQUAGESIMUM

Dena, Xaveri, tibi lustra vitae  
acta sunt, ex quo invenis dedisti  
nomen Alfonso: series profecto  
longa dierum.

Dum tamen menses cumulas et annos,  
triste subrepit senium: capillus  
canuit, dentes cedidere, rugis  
obsita frons est.

Auris et visus acies hebescit,  
poplices nutant, riget intremique  
dextra qua scribis, digitus recusant  
scandere versus.

Mille per rimas fugit e caducis  
sanitas membris; aditusque Morti  
mille panduntur, spatiosiores  
usque futuri.

Crede, Xaveri, tibi iam sepulerum  
hiscit; aeternos igitur fac annos  
mente perpendas, tua colligasque  
vasa, viator.

Cogita, qua tu ratione flectas  
iudicem Christum, tibi qui talenta  
quinque largitus, totidem reposcat;  
fenore parta.

Vae tibi! doti, sub humo repotae,  
qui nihil lucri, piger, addidisti;  
cuius ignavum carie sitaque  
sorduit aurum.

Stulte, ne tardes reparare damna;  
perditum tempus redimens, labori  
disce solerti dare te, nec ullis  
parcere curis.

Mitte iam nugas et inane plectrum,  
quo teris longas male sanus horas;  
ede vix rarum, breve nec profanum  
postea carmen.

Interim vires tibi posce, rectam  
ut geras vitam, bona quam coronet  
mors, ubi luctans animus seniles  
liquerit artus.


FRANC. XAV. REUSS.

Clarissimo laboris nostri socio et litterarum latinarum decori festum sibi diem tam suaviter revocanti fausta omnia, ad tempus diurnum maxime, omniamur; eoque magis laetamur, quod quum ipse hoc carmen Pio PP. X humiliter obtulisset, benignissimus Pontifex, accepto calamo, sua sub effigie photographice expressa, honorifica quidem verba rescribere dignatus sit, quae sequuntur:

*Dilecto filio Religioso viro Francisco Xaverio Reuss e Congregatione SS<sup>mi</sup> Redemptoris, annum quinquagesimum a rotis religiosis nuncupatis prope diem feliciter commemoranti, gratulamur ex animo, et fausta quaeque ac salutaria ad multos etiam annos a Domino adprecantes, praecipuae benevolentiae nostrae testem, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus et Indulgentiam Plenariam die anniversario lucrandum in Domino concedimus.*

*Ex Aedibus Vaticanis tertio Kalendas Octobris anno MCMIX.*

PIUS PP. X.



## DE AËRIA NAVIGATIONE

Unusquisque nostrum, quum suspexisset nubium in aethere cursus vel lenem avium volatum cogitavit de iis hominibus, qui similem ad modum aëra transnavigarent. Hoc vero volandi desiderium non nuper primum in nobis exstitit, sed ante annorum millia in animis hominum fuit inclusum. Illinc enim nata est antiqua de Icaro fabula, quem finxerant pennis cera compactis ad solem advolasse, eis autem calore solari solutis misere decidisse. Deinde per longum spatium volandi periculum subiit nemo. Postquam autem, inventa antlia pneumatica, homines didicerunt exhaustire ex pilis metallicis aëra, viderunt leviorum esse pilam vacuefactam, quam quum esset plena aëris. Tum primum coepérunt opinari magnas istiusmodi pilas, si aër exhaustus esset, elevatum iri. Haec fuit Francisci Sanae Iesuitae sententia (MDC LXX): si ex quattuor pilis ex laminis cupreis factis educeres aëra, videres escensuras esse pilas. Quem quidem fugit — usus enim earum rerum non erat — aëris pondere vacuatas pilas comprimi.

Anno autem MDC IX Olissipone prima pila ascendiit primumque aéronautam ad CC pedes extulit. Bartholomeus Gusmanus firma papyro magnam conglutinaverat pilam, per os satis amplum, quod aperuerat ex inferiore parte, adduxit calidorem aëra, qui, quum sit levior, quam aër frigidus, altiores regiones appetit, pilam, corbem adiunctum, hominem ipsum sustulit. Postea, ad annum MDC LXXXIII, Montgolfierii fratres, Gallici, similem pilam calido aëre impletam emiserunt, qui videntur nescivisse rem antea a Gusmano esse inventam. Hi autem ad os pilae, quod, ut supra diximus, ex inferiore globi parte patebat, incenderunt materiam valde fumigantem, quia fumo pilam levare putaverant. Post breve tempus impoauerunt in corbem ovem et gallum et anatem innixeruntque ascendentib[us] pilae; isti autem quum sospites delapsi essent, Pilatre de Rozier et marchio d'Arlandes a. d. X. Kal. Dec. anni MDC LXXXIII pilam concendere ausi sunt. Haec autem tantarum rerum fama per totam Galliam percrebruit, coepéruntque Parisii propriam pilam flagitare. Quibus meliorem construxit Carolus physicus. Probe enim intellexerat vir non fumo tolli pilam, sed leviori qui intus esset aëre, multaque difficultate suum adimplevit globum hydrogenii gase, quod quartam decimam partem ponderis aërii aequiparat. Magnifice globus iste elevatus est; sed quum paulatim demitteretur ad Gonesse, vicum quendam Gallicum, agricultae rei novitate perterriti suspicabantur lunam repente in terram dare ruinam; ubi vero senserunt persistere omnia, fustibus atque furcis monstrum demoliti sunt, ut raras Carolus invenerit reliquias. Tamen alteram eamque per-

fectiorem pilam confecit, quae continebat omnes res, quibus hac quoque aetate pilae aëriae instruuntur: serica vernice inlita, ne effugiant gasia inclusa, rete, corbem, in superiore parte epistomium ad emitenda gasia, sabirram, anchoram, instrumenta meteorologica. Haec omnia uno mense excoxitavit Carolus; deinde tria metrum millia ad caelum evectus est. Blanchardus autem primus pila transvolavit fretum Britannicum, Dubri Caletum, ubi monumento perenni descensus eius notatus est.

Dicendum hic esse videtur, quomodo pilae aëriae instructae sint. Primum quidem conficiuntur ex servis levibus atque firmis, aut ex graviore gossipio, quod melius emitur; utraque vernice liniuntur quo densiora sint ad gasia retinenda. Sed quum follis tenerrimus graviorem corbem et quae in eo ponuntur non facile ferat, reti circumdatur, cuius grandissimae sunt maculae; reti autem adiungitur corbis. Crassiora enim retis fila supremam follis partem ab ascendendi vi, quae in ista parte summa est folleme que nimium premit, ita tuentur, ut fenestrarum costae vitreas tesseras confirmant ad sustinendos venti impetus, quos maiores tesserae non ferrent. Dum pila ascendit, in leviores aëris straturas infertur, et quia gasia omnia in omnes partes funduntur suaque natura aequilibritatem appetunt, findent aliquando follem, praesertim solis radiis extenta, nisi liberetur aliquis exitus. Hic vero patet ex summa pila, sed adigit eo ipsius gasis pressus operculum, quod ab aéronauta fune in corbem demisso ad arbitrium removetur, ut diminuta gasia copia vel decidat pila ad terram, vel caveatur follis laceratio. Pilae Germanicae altero quodam fune in descensu a superiore parte findi possunt, quo citius evanescant gasia tutiorque corbis ad terram appellat. In hoc autem ponuntur anchora, quae ad descensum proiecta in terra figuratur et restes, quibus pila ad arbores vel sepes alligetur, et saburra, qua temperetur pilae lapsus. Neque enim possunt densari serica, ut nulla gasia effluent: semper aliquantulum effugit, semper globus ingravescit, dum deorsum labitur. Nunc autem, si citius cupiat aéronauta descendere, aperit epistomium; intrante aëre pila gravatur statimque fertur deorsum. Sed aliquando altius est ascendendum, quam quo per ventum est, ut sit necesse levare machinam. Instrumenta vero pilae deiici non possunt, sed saburra, id est aqua vel arena, quae in corbe erat posita, effundenda est; statim levabitur pila.

Iam igitur potuerunt homines superare summas tress altissimosque montes et nubes plurimas; potuerunt in longinas terrae regiones prospicere; tamen avium volatum imitati non sunt. Hae enim auram velociter persecant, facile levantur et se demittunt; isti ingentem pilam aegre atque sumptuose e manu mittunt, nullis ventorum viribus resistunt;

quo patiatur gasis impleti copia ascendunt, ad terram vel ad mare feruntur et ita magna navigatiois aëriae pericula sustinent. Sed a primis pilaram tentamentis aéronautae coeperunt sperare id se esse assecuturos, ut aeronavim, quo velint, dirigant, quemadmodum qui navigia in aqua convertunt. Centum autem annos eos haec spes morata est, etsi pila, ut fuit instructa, aliquid contulerit ad meteorologiae scientiam et aliquando ad recognoscendum loca bellica.

Regi vero atque converti poterit pila aëria, si gubernaculum affigatur et rota quae superet ventorum velocitatem. Sed quia forma sphærica venti impetu vel levissimo permovetur, fuso similem reddidit pilam Henricus Giffardus anno MDCC LII et in corbe posuit machinam vaporariam, qua movebatur quidem rota, sed ea tantum velocitate, ut singulis minutis partibus sexagesimis non amplius quam bina vel terna metra proiectus sit. Postea anno MDCC LXXII Paulus Haenlein Germanus ad movendam pilam usus est machina gase agenda, quae quum hoc ex ipsa pila peteret tum pondus totius globi auxit, tum folle flaccidente flexionem impedivit. Anno MDCC LXXXIII Tissandier Gallus electrica vi coepit mouere rotam pilarem; tandem, anno MDCC LXXXIV Renardus et Krelisius Galli eadem moti vi quum nulli essent venti adversi, ad eundem locum navem verterunt, unde ascenderant. Posthac Woelfertus Germanus introduxit benzimum in pilam, quo nunc plerique utuntur; sed rei inventor a. MDCC IIII, quum destruxisset benzimum pilam, interiit.

Adhuc erat propositum firmorem facere fusi formam, quae, si non est gasibus quasi efferta, ventis curvatur redditque inanem vim gubernaculi. Sic inciderunt aéronautae in formam rigidam, quam coepit instituere primus, quem supra nominavimus, Giffardus suspensa reti pertica, quam conabatur perficere Renardus circumtexendo proram arundine, quam Berolini post annum MDCC XC absolvit alumino, metallo levissimo Schwarz, architectus Austriacus. Hic pro sericis utebatur alumini laminis, quas costis intus dispositis distendit atque corroboravit. Quem postea Zeppelinius, comes ille et aéronauta his diebus celeberrimus, partim imitatus est.

Multa vero hic vir, quem anno MCMI quum e publico sexagenarius cessisset et otium quaesivisset ad lacum Brigantinum aedificando navim aëriam ridebant non pauci, ad artem hanc utilia sapienter excoxitavit. Costas alumineas in longa quadam totius navis sponda dispositas contexit, ut mos est, sericis vernice densatis, sed in ventrem navis inclusit ad XVIII pilas impletas gase hydrogenio. Nunc igitur quum feritur globo plumbeo navis, una perforabitur pila, illinc in follem effundetur gas, eadem fere levitate tota machina iter prosequetur. Praeterea hoc



Laurentius diaconus Ecclesiae thesauros inter pauperes distribuit.

(ANGELICI FAESULANI tabula in Vaticano asservata).



Laurentius diaconus ante Decii tribunal.

(ANGELICI FAESULANI tabula in Vaticano asservata).



Laurentius diaconus Ecclesiae thesauros inter pauperes distribuit.

(ANGELICI FAESULANI tabula in Vaticano asservata).



Laurentius diaconus ante Decii tribunal.

(ANGELICI FAESULANI tabula in Vaticano asservata).

quoque commodi accessit, quod inter singulas pilas interest aëris, qui calorem aegre ad pilas admittet, diu ergo colludent follem externum solis radii acutissimi, non cito extendent gasia raraque ferent scissurae pericula. Porro ex navi pendent corbes duo, in navi ipsa duae sunt motrices machinae, quarum utraque binas rotas convertit. Compluribus gubernaculis tum erectis tum libratis via totius navis temperatur. Permagus vero est Zeppeliniana molis ambitus, ut sublevare possit tot rerum apparatum — ita una navis nuper confecta longa est metra CXXXV lata XIII — magnamque postulat vim pecuniae. Quanti enim esse putamus aluminii copiam? quanti hydrogenium, quod XVIII pilae absument? quanti tecta, sub quibus tantum monstrum post navigationem tamquam in portu quiescat? Magna sunt etiam latera navis, quibus ventorum vehementiae resistentia sit et est periculosum in ventis ad terram descendere. Id quidem patuit anno superiore, ubi alterutro corbe ad solum tunso benzinum partem navis incendit, partem tempestas iniqua correptam perdidit. Id accidit nuperisse, quum puppis demissa in pirum impiegisset, qua valde lacerata est.

Neque vero potuere minuere artem Zeppelinii calamitates istae aut populi frangere laetitiam, sicut nec mare vitamus, quod aliquando fiant naufragia. Quanta hominum multitudo ex urbibus et ex pagis omnibus solet concurrere quo Zeppelinii navim venturam esse renuntiatum est! Una est omnium cum hoc viro laetitia, quum bene sunt omnia, communis est in calamitate dolor. Quibus nunc gratulationibus ambiant, quem paucis annis ante oleum perdere et operam dictaverunt! Nunc viri huius fama ad omnes emanavit gentes, hunc vocant omnes ordines, hunc vel pueri atque puerae ad ludum habent in ore, hic memoriam sibi promeruit sempiternam. Dedit enim nobis navim aëriam, quae regi possit in aëre, ut aquales naves in mari; quae ante multos annos cogitata nunc tandem a Zeppelinio aedificata est. Liceat Germanico mihi viro eius laudes prae ceteris heic celebrare.

A. HABERL.

## PAROEMIAE SIVE ADAGIA

### Oleo incendium restinguere.

Dici solitum ubi quis ea admovet remedia, quae malum magis ac magis exacerbent. Veluti si quis animi tristitiam foedis voluptatibus obruere conetur; aut si quis offendit iurgiis et conviciis velit placare. Huc respexit Lucianus in *Timone*, quum ait: «Si quem aspexerit incendio conflagrantem, pice et oleo se velle restinguere».

(1) *Cur Deus homo*, lib. I, 2.  
(2) *Constit. Dei filius*, cap. 4.

### Patriae fumus igni alieno luculentior.

Proverbii faciem habet, atque ad eamdem pertinet sententiam, quod eleganter scripsit Lucianus in Encomio patriae: «Ac patriae fumus loculentior homini videtur, quam ignis alibi». Philostratus in Ariadne: «Theseus amat quidem, sed Athenarum fumum». Nam Ariadnen neque vidit adhuc neque etiamtum cognovit. — Apud Homerum terrae natalis fumum Ulyxes optat videre surgentem (*Odyss.* I), unde fortasse est ductum proverbium.

## ANGELICI FAESULANI TABULAE DE S. LAURENTIO ECCLESIAE DIACONO

Laurentius, Xysti II Pontificis diaconus, Christi heros invictus, Romae natus est, tamque summo animarum Pastori sese addixit, ut eum ad martyrium comitatus sit, eius sorti publice invidens. Captus et ille, quod noluerit ecclesiae bona, quae inter pauperes dividebat, Decio praefecto tradere — prout in Prudentii carmine illo celeberrimo legitur — crudelissima ignis morte mulctatus est anno CCCL p. C. n. Eius historiam Angelicus ille Faesulanus pictor, una cum Benedicto Gozzoli collega, in Vaticano Nicolai V sacello descripsit, mirifica ea arte, quam socii et lectores nostri apprime norunt, quod specimina eius delecta in nostro Commentario non semel derimus, et hodie iterum praebemus.

## ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encycliae octavo exeunte saeculo ab obitu S. Anselmi doctoris.

(Cfr. num. sup.)

Quum igitur vel theologi quaerunt vel fideles petunt de fide nostra rationes, non his fundamentis, sed revelantibus Dei auctoritate nituntur, hoc est, ut habet Anselmus: *sicut rectus ordo exigit ut profunda christiana fidei*, quae mysteria dicuntur, *credamus priusquam ea presumamus ratione discutere*, ita negligientia mihi videtur, si, postquam confirmatus in fide, non studemus quod credimus intelligere (1). De illa profecto intelligentia loquitur, de qua Vaticana Syndodus (2); alio enim loco sic disserit: *Quamvis post Apostolos, sancti Patres et Doctores nostri multi tot et tanta de fidei nostrae ratione dicant...*, non omnia que possent, si diuinus vixissent, dicere potuerunt, et veritas ratio tam ampla tamque profunda est, ut a mortalibus nequeat exhaustari; et

*Dominus in Ecclesia sua, cum qua se esse usque ad consummationem saeculi promittit, gratiae sue dona non desinit impetriri. Et ut alia taceam, quibus sacra pagina nos ad investigandam rationem invitat, ubi dicit: nisi credideritis non intelligetis, aperte nos monet intentionem ad intellectum extendere, cum docet qualiter ad illum debeamus proficere. Nec est praeterreunda ratio quam addit extremam: inter fidem et speciem, intellectum quem in hac vita capimus, esse medium, ideoque quanto atquis ad illum proficit, tanto cum propinquare speciei ad quam omnes anhelamus (1).*

Solida haec, — ut alia praeteremus, — per Anselmum philosophiae ac theologiae iacta sunt fundamenta; haec in posterorum usum ab ipso fuit studiorum ratio proposita, quam sequuti deinde sapientissimi viri Scholasticorum principes, in quibus maxime doctor Aquinas, magnis incrementis ditarunt, illustrarunt, expoliverunt, ad eximium Ecclesiae decus atque praesidium. Haec autem de Anselmo commemorasse placuit, Venerabiles Fratres, quod optatam Nobis occasionem attulerunt vos iterum cohortandi ut saluberrimos christianae sapientiae fontes, ab Augustano doctore primum reclusos, ab Aquinate locupletatos uberrime, sacrae inventuti pervios esse curetis. Qua in re memoria ne excidant quae Decessor Noster fel. rec. Leo XIII (2), Nosque ipsi documenta dedimus, quum saepe alias, tum etiam Encyclicis Litteris die VIII mensis Septembris anno MDCCCCVII, queis initium *Pascendi dominici gregis*. Patent heu nimium ruinae, quae, neglectis hisce studiis aut nec certa nec tuta via susceptis, effossae sunt, quum non pauci, etiam e clero, nec idonei nec parati, minime dubitarint *praesumendo in altissimas de fide quaestiones assurgere* (3). Quae una cum Anselmo lugentes, eius verba usurpamus, ita graviter monentis: *Nemo ergo se temere immerget in condensa divinorum quaestionum, nisi prius munus sit in soliditate fidei, conquisita morum et sapientiae gravitate, ne per multiplicia sophismatum diverticula incauta levitate discurrens, aliqua tenaci illaqueetur falsitate* (4). Cui levitati si faces accendant cupiditatum, ut fere fit, actum est de studiis gravioribus ac de integritate doctrinae. Inflati enim *insipiente superbia, qualem in haeretice dialecticis dolet Auselmanus*, contemptui habent sacras auctoritates, id est divinas Litteras, Patres, Doctores, de quibus verecundioris ingenii iudicium non esse poterit aliud nisi hoc: *Nec nostris nec futuris temporibus ullum illis parem in veritatis contemplatione spernemus* (5). Nec maiore in pretio habent Ecclesiae monita vel Pontificis Maximi, eos ad meliorem frugem revocare conantur, pro rebus dare verba solliciti et in fictum obsequium proni, quo fuco auctoritatem sibi et plurimorum gratiam concilient. Fore autem ut hi ad saniora consilia se referant vix ulla spes affulget, quod ei dicta audientes esse detrectent, cui *domino et Patri universae Ecclesiae in terra peregrinantis... divina Providentia... vitam et fidem christianam custodiendam et Ecclesiam suam regendam commisit*; ideoque *ad nullum alium rectius refertur, si quid contra catholicam fidem oritur in Ecclesia ut eius auctoritate corrigitur; nec ulli alii tutius, si quid contra errorum respondetur, ostenditur, ut eius prudentia examinetur* (6). Atque utinam perduelles isti, qui se candidos, apertos, omnis officii retinentissimos, usu rerum et religionis praeditos, operosa fide pollentes tam facile profitentur, sapienter ab Anselmo dicta percipient, eius exemplo institutoque se gerant, idque maxime in animo defigant: *Prius*

(1) *De fide Trinitatis*, Praefatio.

(2) Encycl. *Aeterni Patris*, diei 4 Augusti MDCCCLXXIX.

(3) *De fide Trinitatis*, cap. 2.

(4) Ibid.

(5) *De fide Trinitatis*, Praefatio.

(6) Ibid.

*ergo fide mundandum est cor... et prius per praceptorum Domini custodiam illuminandi sunt oculi... et prius per humilem obedientiam testimoniorum Dei debemus fieri parvuli, ut discamus sapientiam... Et non solum ad intelligendum altiora prohibetur mens ascendere sine fide et mandatorum Dei obedientia, sed etiam aliquando datus intellectus subtrahitur et fides ipsa subvertitur, neglecta bona conscientia* (1).

Quod si turbulenti homines ac protervi pergent causas errorum ac dissidiis serere, doctrinae sacrae patrimonium diripere, violare disciplinam, venerandas consuetudines habere ludibriis, quas velle convellere genus est haeresis (2), ipsam denique divinam Ecclesiae constitutionem funditus evertere; iam videtis, Venerabiles Fratres, quam sit Nobis advigilandum ne tam dira pestis christianum gregem, adeoque teneriores foetus, inficiat. Hoc a Deo non intermissis precibus flagitamus, interposito Augustae Dei Matris patrocinio validissimo, deprecatoribus etiam adhibitis triumphantis Ecclesiae beatis civibus, praesertim Anselmo, christianae sapientiae fulgido lumine ac sacrorum iurium omnium incorrupto custode strenuoque vindice. Quem gratum est iisdem compellare verbis, quibus etiam tum in terris degentem compellat sanctissimus Decessor Noster Gregorius VII: *Quoniam fructuum tuorum bonus odor ad nos usque redoluit, quam dignas grates Deo referimus, et te in Christi dilectione ex corde amplectimur, credentes pro certo, tuorum studiorum exemplis Ecclesiam Dei in melius promoveri, et tuis similitum, quae tibi precibus etiam ab instantibus periculis, Christi subveniente misericordia posse eripi... Unde volumus tuam tuorumque fraternaliter assidue Deum orare, ut Ecclesiam suam et Nos, qui ei licet indigni praesidemus, ab instantibus haereticorum oppressionibus eripi, et illos, errore dimisso, ad viam veritatis reducat* (3).

Talibus freti praesidiis et studio vestro confisi, apostolicam benedictionem, caelestis auspiciem gratiae et singularis Nostrae benevolentiae testem, vobis omnibus, Venerabiles Fratres, uniuersoque clero et populo singulis commisso peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, in festo S. Anselmi, die XXI mensis Aprilis anno MDCCCCIX, Pontificatus Nostris sexto.

PIUS PP. X.

(1) *De fide Trinitatis*, cap. 2.

(2) S. ANSELM., *De nuptiis consanguineorum*, cap. 1.

(3) In libro II Epist. S. Anselmi, ep. 31.

## EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

### Ex Congregatione Consistoriali.

*Dubia a S. C. enodata circa Collegia Ecclesiastica quaedam a Congregatione «de Propaganda Fide» dependentia ante constitutionem «Sapienti consilio».*

I. Quomodo intelligenda sit dependentia a S. Congregatione Consistoriali trium Urbis collegiorum, nempe Americae septentrionalis, Hiberniae et Scotiae, de qua in resolutione d. XII mens. Novembri MCMVIII ad IX (1); et quid idcirco statuendum sit quad designationem et attributiones Emi Cardinalis Protectoris in iisdem collegiis.

(1) Haec resolutio fait prout sequitur: «Collegia Americae Septentrionalis, Hiberniae et Scotiae posthac pendebunt a S. Congregatione Consistoriali. Iuramentum autem ab alumnis praestandum servetur; reformatum tamen erit iuxta novam statuendum formulam».

R. Hanc dependentiam intelligendam esse de alta directione, quam S. Congregatio Consistorialis, vi Constitutionis *Sapienti consilio*, exercet in omnia seminaria et collegia iuri communi subiecta: et supplicandum SSmo, ut in unoquoque ex his collegiis Cardinalem Protectorem, qui in Urbe resideat, designet, cum attributionibus prout in eorumdem constitutionibus et regulis, salvis tamen semper iis quae in memorata Constitutione *Sapienti consilio* et inferius disponuntur.

II. Utrum et qua ratione, post Constitutionem *Sapienti consilio*, collegium Anglicum de Urbe adnexumque collegium Beda dependeat a S. Congregatione Consistoriali.

R. *Affirmative*, in iisdem omnibus terminis ac in responsione ad Ium.

III. Utrum et quomodo collegium Canadense de Urbe in posterum dependeat a S. Congregatione Consistoriali.

R. Ad tramitem iuris communis, si et quatenus opus sit.

IV. Quae statuenda sint circa collegium Josephinum in civitate *Columbus* Americae septentrionalis.

R. Quoad proprietatem et administrationem bonorum nihil innovandum: quoad collegii directionem, disciplinam aliaque, rem spectare ad S. Congregationem Consistoriale.

V. Utrum collegium Americanum Lovaniense post Constitutionem *Sapienti consilio*, dependeat a S. Congregatione de Propaganda Fide, an a S. Congregatione Consistoriali.

R. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam, salvis iuribus S. Congregationis de Propaganda Fide quoad alumnos dioecesum, quae adhuc eidem subsunt.

VI. Utrum et quae iura posthac exercere valeat S. Congregatio Consistorialis quoad collegium Anglicum S. Albani Vallisoleti.

R. *Affirmative*, et S. Congregationem Consistoriale succedere debere in iuribus, quae hucusque a S. Congregatione de Propaganda Fide exercebantur.

VII. Utrum et quomodo providendum sit collegio Anglolico Lisbonensi.

R. Firma dependentia eiusdem collegii a S. Sede, providendum quoad modum iuxta mentem.

VIII. Utrum et quomodo collegium omnium Sanctorum Dublini adhuc dependeat a S. Congregatione de Propaganda Fide.

R. *Negative*, subrogata S. Congregatione Consistoriali in iuribus, quae hucusque in dictum collegium exercerat S. Congregatio de Propaganda Fide, et salvis iuribus S. Congregationis de Propaganda quoad alumnos dioecesum, quae eidem subsunt.

IX. Utrum et quomodo collegium Hibernicum Parisiis dependeat a S. Congregatione Consistoriali.

R. Dilata.

X. Utrum collegium Ianuense *Brignole-Sale* etiam nunc dependere debet a S. Congregatione de Propaganda Fide.

R. *Affirmative*.

XI. Ad quem spectet concedere litteras dimissorias ad sacros Ordines alumnis collegiorum Americae septentrionalis, Hiberniae atque Scotiae de Urbe, nec non aliorum collegiorum, quae superius recensita sunt.

R. Litteras dimissorias concedendas esse a Cardinali Pro-tectore, ubi adest; ubi vero deest, ab iis qui hoc privilegium legitime obtinuerunt; ea tamen lege, ut, si non agatur de privilegio perpetuo, indulti prorogatio sacrae Congregationis Consistoriali reservata maneat. Rectores autem collegiorum (quisquis sit, qui dimissorias litteras concedat) teneri in antecessum in singulis casibus Ordinariis proprium candidati interpellare, semel pro Ordinibus minoribus, et denou semel pro Ordinibus maioribus, nempe pro sacro subdiaconatus Ordine, an aliiquid alumni ordinationi obstat.

XII. Utrum et quinam titulus ad sacros Ordines, post Constitutionem *Sapienti consilio*, subrogandus sit titulo *missionis* quoad alumnos collegiorum, de quibus supra.

R. *Affirmative*, et subrogandum esse titulum *servitii ecclesiae* titulo *missionis*, quoties alius canonicus titulus desit, servatis de iure servandis, prout in rescripto Sacrae huius Congregationis pro Hibernia d. XXVII mens. Maii MCMIX; salvo titulo *missionis* pro alumnis, qui a S. Congregatione de Propaganda dependent.

XIII. Quid statuendum sit circa iuramentum ab alumnis eorum collegiorum in ingressu in collegium praestandum.

R. Conservandum esse iuramentum ab Urbano VIII praescriptum, cum clausula adiecta ab Alexandre VII, in iis collegiis et pro iis alumnis, qui hucusque illud praestare tenebantur, reformatum tamen iuxta adnexam formulam. In collegio Anglolico Lisbonensi iuramentum conservandum esse cum formula hactenus praescripta. Quod collegium Americanum Lovaniense, ubi iuramentum non erat in usu, in posterum alumnos non dependentes a S. Congregatione de Propaganda teneri in scriptis promittere, se fideliter inservituros esse propriae dioecesi, quae promissio in archivio collegii conservanda erit.

XIV. Utrum clerici statutum foederatorum Americae septentrionalis, qui vi peculiariis indulti, a Summo Pontifice per Secretarium Status die II mens. Ianuarii MCMIX concessi, promoventur ad sacros Ordines titulo *servitii ecclesiae*, teneantur emittere iuramentum sese mancipandi servitio suae ecclesiae seu dioecesis.

R. *Negative*, nisi ad id adiganter in casibus a iure communis praescriptis; facta tamen obligatione alumnis, qui gratuitate in bonum dioecesis aluntur, promissionem scriptam emittendi, sese fideliter inservituros esse propriae dioecesi.

XV. Qua ratione reformandum sit iuramentum quoad eos alumnos collegii Urbani de Propaganda Fide, de quibus in resolutione S. Congregationis Consistorialis, d. XII mens. Novembris MCMVIII ad Xum data.

R. Iuramentum reformandum esse iuxta superius indicatum formulam in responsione ad XIII, salvo iure S. Congregationis de Propaganda Fide emendandi, si et quatenus necessarium ducat, formulam iuramenti pro alumnis locorum sua iurisdictionis.

(Ex decr. d. V mens. Augusti MCMIX).

#### Ex Congregatione S. Officii.

*De dispensatione ab occulta irregularitate in foro conscientiae, urgente necessitate.* — Iam ex decreto supremae Congregationis S. Officii, lato d. XXIII mens. Iunii MDCCLXXXVI, cuique confessario concessa fuit facultas absolvendi a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis damni vel infamiae, super quo confessiorum conscientia oneratur, iniunctis de iure iniungendis, et sub poena reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii absolutus recurrit ad S. Sedem. Quum vero nuper eidem Congregationi preces oblatae sint, quibus peteretur, «an licet confessario in iisdem circumstantiis atque conditio-nibus dispensare ab irregularitate, quae ipsas censuras sequitur», Emi ac Rmi DD. Cardinales, in rebus fidei ac morum generales Inquisitores, in congregatione habita feria IV die I Septembris labentis anni MDCCLXXXIX, decreverunt: «Publicetur decretum latum feria IV, die XXVIII mens. Martii MDCCLXXXVI». Quod quidem decretum ita se habuit: «Supplicandum Sanctissimo pro facultate dispensandi super irregularitate occulta quando occurrat in casibus comprehensis in decreto S. Officii dato d. XXIII mens. Iunii MDCCLXXXVI. — Et inequentia feria V, die XXIX mens. Martii Sanctissimus annuit pro gratia iuxta Eborum Patrum suffragia».

#### DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Septembris. — d. XXI mens. Octobris. MDCCLXXXIX)

#### Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliquos viros, qui sui quisque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Szécsen de Temerin dynasta, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; Anglorum peregrinorum manus ab exomo viro Edmundo Stonor, archiepiscopo Trapezuntino coram adducta; supremum Piae Societatis Missionis consilium; Camillus Rospigliosi, Princeps Urbanus, eiusque familia; Vincentius Macchi, Comes; Gutierrez De Aguera doctor; manus Italorum iuvenum peregre Romanum advenientium a Purpurato Patre Petro Maffi, archiepiscopo Pisano, coram adducta; Fernandus Paulus Fedrighi, Brasiliensis doctor; Teutonum peregrinorum manus; excusus vir C. Bonlatziell, legatus extraordinarius atque minister cum omni potestate Russici imperii apud Apostolicam Sedem.

#### Pontificiae electiones.

Reverus vir Laurentius Janssens, Sacrae Congregationis Religiosorum a secretis, abbas titularis S. Petri de Monte Blandin renunciatur.

— R. p. Adolphus Müller S. I., in Pontificio athenaeo Gregoriano astronomicae disciplinae doctor, rector Collegii Germanici-Hungarici de Urbe dicitur, loco r. p. Iosephi Biederlack ad Oenipontis athenaeum translati.

agitata fuisset, qui occasione capta a Francisco illo Ferrer, anarchistarum duce, apud Hispanos morte mulctato, in catholicam religionem non solum, sed in reges, ac praecipue Russorum, acerrime saevi-runt. Atqui Hispanicum populum mors illa non ita commoverat! Quod si Maura, illius gubernii moderator, a munere cum collegis discessit, non huic eventui tribuendum id fuit, sed Mauritani belli vicibus. Quum enim post proelium ad Restingam, post Zolouan oppidum captum et Gurugu montes feliciter superatos idem bellum iam conjectum ab Hispanis passim crederetur, novae copiae tamen quotidie mitterentur, apertum indicium habitum est, fore ut non ad ultionem sed ad adoptionem bellum ulterius audacius produce-retur. Accesserunt extera diaria graviter Hispaniam admonentia ac spernacia admistrorum verba; indeque factum est ut populi procuratores favore ab administrorum collegio detraherint, qui ita se a muneribus suis abdicarunt. Publica res ad Moret y Prendergast, liberalium qui dicuntur principem cessit, quem virum aetate etiam exercitum atque probatum opus pacificationis in tam gravi momento acturum omnes ominantur.

#### PUBLICI PER ORBEM COETUS

##### LEGIBUS FERENDIS

In Austria resumptae publici coetus sessiones, atque resumptum item Czechorum-radicalium «obstructionismum».

In Dania rogationes legis de civitatis defensione tandem approbatae.

In Gallia lex de iure suffragii reformando in examen conversa.

In Graecia Mauromikalis, collegii administrorum praeses, sua et collegarum proposita fusa oratione aperuit.

In Hispania post acerrimam de Mauritanio bello et de omni gubernii actione disceptationem, Maura administratorum praeses eiusque collegae a suo quisque munere sponte recesserunt.

In Serbia pariter administratorum collegium, cui Novakovic praerat, officio se abdicavit.

#### ANNALES

##### Russorum Caesaris in Italiam adventus.

Dum scribimus diuturnum Italici gubernii desiderium solutum est: Nicolaus enim Russorum Caesar in Italiam advenit, unde hinc mala uxoris valetudo, inde socialistarum atque anarchistarum minaces irae tamdiu detraherant. Vicit vero tandem intelligens populi iudicium, vicit administratorum firma voluntas, regiusque Subalpini castri Racconigii hospes iam certe intellexit, humanitatem a nostra gente, quidquid ei dictum fuerit, hand exsulasse. Habita hodie regum de more propinatio, et Titonium inter et Iswolski, utriusque populi exterarum rerum procuratores, colloquia — quae saltem vulgata sunt — firmum indicium praebent immutabilis tum Russorum tum Italorum solidandae pacis consilii, commerciorum arctioribus vinculis constituendorum, denique utriusque nationis esse mentem, nullam aliam in Balkanica regione mutationem iri perlatum.



##### Hispanicum bellum in Mauritania.

Comis haec Russorum Imperatoris acceptio eo magis significanter recolenda est, quod paucis diebus ante Italia fere omnis vehementer a factiosis viris

Lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum habet aliiquid vagum et instabile. Certis ingenis immorari et innutri oportet, si velis aliiquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est qui ubique est.

SEN., Ad Luc., II.

## PER ORBEM

Die xxi mens. Septembris MCCCCIX Petropoli centenaria dies commemoratur ex quo Finlandica regio cum Russorum imperio adnexa est.

— d. xxiv, Bolonie in Gallia, Foerber, dux militum, cum aeroplano suo in terram decidens, miserime obit.

— d. xxv similia Gallice aeronaui, cui nomen République, apud Molinam accidunt. Proretae quatuor, qui eam occupabant, malo fato concedunt.

— d. xxvi Tusculi centesima natalis dies Purpuriati Patris Guelmi Massaia e Capulatorum familia, celeberrimi illius Christianae religionis omnisque humanitatis praecoris apud Aethiopes, sollemniter celebratur.

Iohannistal apud Berolinum aliud omnium nationum de aviatione certamen inchoatur.

— d. xxix ad Montautour ingens Gallorum peregrinorum concursus xxv annum concelebrat a recognito cultu B. Virginis vulgo *du Roc*.

— d. xxx Germanica princeps foemina, imperii haeredis uxor, infantulum tertio parturit.

Die i mens. Octobris apud Anglos loricata navis, cui nomen Neptunus, qua nulla in orbe adhuc magis formidabilis, in mare immittitur.

— d. v Tirovni splendida pompa diei memoria recolitur, in qua Bulgarorum natio nulli subiectam se declaravit.

Neo-Eboraci, Ioanni de Varazzano, una cum Hudson et Fulton Hudsoniae regionis detectori, monumentum dicatur.

— d. vii Michael Gordigiani, Italicus pictor inter optimos habitus, supremum diem explet.

— d. viii Bruxellis conventus legatorum omnium gentium de pace inter omnes populos procuranda habetur.

Lutetiae Parisiorum aliud aviationis certamen certatur.

— d. xiii ob Franciscum Ferrer, Hispanicum subversorem, a Barcinonensi militum tribunali morte multatum, factiosorum hominum, in Gallia praecipue et in Italia, protestationes ac tumultus fiunt.

— d. xvi sacrae musices cultores Pisas convenient.

— d. xvii Leo Tolstoi, philosophus ille Russicus, post annos plures Moscoviam petens, magno plausu publice excipitur.

— d. xviii Canadensis horrea ad Quebec incendiō absumuntur.

— d. xix Augustae Taurinorum improvisa morte corripitur Caesar Lombroso, scholae illius notissima magister, qnam «positivismi criminalis» appellarunt. Natus erat Veronae d. ii mens. Ianuarii M DCCC XXXV.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Socios et lectores admonere iuvat, libros recens editos atque ad nos missos ut in *Voce Urbis* eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, venundari. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

E. JOLY. *Psicologia dei Santi*. Editio altera. — Romae edid. Desclée et soc., MCMIX. (Ven. lib. 2).

G. BAUDOT O. S. B. *La consacrazione delle Chiese*. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

L. MACINAI S. I. *Tra i misteri. La ragione e i misteri*. — Indidem. (Ven. lib. 0,60).

N. Rocco. *L'anima della Chiesa in rapporto all'unità di credenza nello spazio, contro un nuovo disegno modernistico*. — Indidem. (Ven. lib. 0,50). *Almanacco illustrato delle famiglie cattoliche per l'anno di grazia 1910*. — Indidem. (Ven. lib. 0,50).

## AENIGMATA

## I.

Alo, sustineo, gremio gestabo, terenti  
Meque aspernanti quod tibi do repetam.

## II.

In primis tutas do vobis omnibus escas;  
Nilque deinde nisi circulus esse quo.  
Nos sumus uniti Romanae gloria linguae;  
Est vir quem dixit libera Roma «pater».

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus gratis accipiet opus, cui titulus:

JOANNES BATTANII  
ANTHOLOGIA PARVA GRAECO-LATINA.

Aenigmata an. XII, n. VIII proposita his respondent:

- 1) Amor-Maro-Oram-Roma;
- 2) Pucus-Specus.

Ea rite soluta miserunt:

Aug. Paulu, Budapestino. — Clem. Fiard, *Curia Rhætorum*. — Lad. Podobinski, *Cracovia*. — Iac. Fernandez, *Mexico*. — Max. Wronski, *Nova Wies Narodowa*. — Mart. Dunne, *Neo Eboraco*. — Ad. Kozlowski, *Petricovia*. — Vinc. Starace, *Neapolis*. — Carolus A. Smith, *Novarunio*. — Alf. Martinez, *Badaicio*. — Ant. Whiteside, *Dublino*. — Ian. Aspremus Rocco, *Afragola*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Petrus Torgestinus. — Clem. Henze, *Vaals*. — Lud. Goux, *Biturici*. — F. Correa, *Emerita*. — Arn. Rudzianski, *Thephelissio*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Iac. Costa, *Dunio*. — Georg. Németh, *Vasnadasd*. — Rich. Müller, *Berolino*. — F. Guerra, *Aletio*. — Ios. Buslig, *Brasso*. — F. Xav. Ghion, *Ostunio*. — Iouan. Nulland, *Catino*. — Ios. Martins, *Philadelphia*. — Iac. Cordara, *Parentio*. — Alexius Fasztsuz, *Szatmar*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Ed. Ryan, *Tullamore in Hibernia*. — Alex. P. Gest, *Trentonio*. — Herm. Gini, *Aguis Taurinis*. — I. M. Meunier, *Corbintaco*. — T. T. Chave, *S. Boise, Idaho*.

Sortitus est praemium:

EDUARDUS RYAN,  
ad quem missum est I. B. FRANCESA opus, cui titulus:  
TARCISIUS  
ACTIO DRAMATICA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA.

## AEGYPTII - CAROLI M. ROSINII Comoedia

Recognovit I. F.

Ble. Tuque itidem Colocynthopsis cedo tuam.  
San. Barbar . . . . . Ble. Porridge . . . .  
Tu nunc quoque dexteram, fili mi, Cleonyme.  
Cur. Quod felix, faustum, fortunatum utrisque sit.  
Char. San. Barbar . . . . .  
Cur. Age nunc, Blepharo, prome hospitalem tesseram.  
Ble. En ipsam. Quandoquidem bona vos alite  
Huc adventatis, generosi hospites mei,  
Ut firmum nos inter ius hospitiū siet,  
Meumque inter gnatum, atque nepotes tuos,  
Hanc testem tesseram lubenter accipe.  
San. Char. Maccabucca, vemaccabucca. Ble. Quid ipsi as- [serunt?  
Cur. Lubenter, et lubentissime. Ble. En ipsam accipe.  
Char. Barbar . . . . . Banopheosim . . . .  
Barbar . . . . .  
San. Barbar . . . . .  
Cur. Ad Panophin dicit, se scripturam statim,  
Ut sanctam hanc hospitalitatem nunciet.  
Pol! Bene tibi erit, Blepharo; nam splendidus vir est.  
Ble. Atque ego tibi aeternas habebo gratias.  
Heus tu, puer, affer capax hoc poculum.  
Comple mero, ut libem hospitali ego Iovi.  
Cur. Barbar . . . . .

Stra. Eccum tibi capacissimum hercle poculum.  
Ble. Tibi Deorum regnatori maxumo,  
Supremo mundanae architecto fabricae,  
Et fulminatori omnipotenti Iovi,  
Qui iuris hospitalis auctor diceris,  
Laetus, labens laudes ego, grates et habebo,  
Quod hodie tantos ad me adduxisti hospites  
Usque ex Aegypto: hunc laetum nobis fac diem  
Natalem pupuli gnati dulcissimi,  
Nostrisque seris in aeyum nepotibus,  
Tu nobis inter nos hospitum perpetum  
Firma. Char. Barbar . . . . .  
Ble. Accipe nunc poculum, fili mi, Cleonyme.  
Cle. Quid faciam modo, pater? Ble. Bibe, fili mi, bibe  
Tantillum, dein Colocynthopsi tradito.  
Cle. Tene nunc. Cur. Quam scitus est tuus hic pupulus (1).  
Stra. Barbar. Ble. Acri ingenio est puer. Cur. Di bene [iuvent.  
San. Barbar . . . . .  
Cur. Barbar . . . . .  
Bene mihi, bene tibi, bene amiculis meis,  
Tene nunc, Stratilax. Stra. Eccum me, praesto sum.  
Hui! totum absumpsit; ne guttulam quidem

(1) *Complectens puerum osculatur.* (Pergit in pag. seq.)

## DESCLÉE ET SOCI - EDITORES PONTIFICII

## ROMAE

Piazza Grazioli, palazzo Doria

## TANQUERAY

## TANQUERAY

## THEOLOGIA MORALIS

(Editio A)

Vol. I. — *De poenitentia et de matrimonio* (pars dogmatica simul et moralis), de *Ordine* ven. lib. 4,50

Vol. II. — *De ultimo fine, actibus humanis, legibus, conscientia, peccatis, virtutibus, decalogo et ecclesiae praeceptis* . . . . . ven. lib. 4,50

Vol. III. — *De virtute iustitiae et variis statuum obligationibus* . . . . . ven. lib. 4,50

(Editio B)

Vol. I. — *Moralis fundamentalis, de virtutibus et praeceptis* (de ultimo fine, actibus humanis, legibus conscientiae, peccatis, decalogo et ecclesiae praeceptis) . . . . . ven. lib. 4,50

Vol. II. — *De virtute iustitiae* (ubi etiam de contractibus et de re sociali), de *variis statuum obligationibus* . . . . . ven. lib. 4,50

Vol. III. — *De sacramentis in genere et in specie* (pars moralis tantum) . . . . . ven. lib. 4,50

## THEOLOGIA DOGMATICA

Vol. I. — *Synopsis theologiae dogmaticae fundamentalis*: De vera religione, de ecclesia Christi, de fontibus theologicis . . . . . ven. lib. 4,50

Vol. II. — *Synopsis theologiae dogmaticae specialis*: 1. De fide, de Deo uno et trino, de Deo creante et elevante, de Verbo incarnato ven. lib. 4,50

Vol. III. — *Synopsis theologiae dogmaticae specialis*: 2. De Deo sanctificante et remuneratore, seu de Gratia, de Sacramentis et de Novissimis . . . . . ven. lib. 4,50

In fundo liquit. Te Dii infelicitent.  
Ble. Agitedum, suavem, amoenum agitemus diem.  
Cur. Barbar . . . Char. San. Barbar . . . (1).  
Stra. Eho, pulsatur ostium. Ble. Nullum sinas  
Huc introire. Stra. Nec meam sinam patrem.  
Ictus ingeminant. Equis pulsat has fores?

## SCENA VI.

Iphicrates cum Ministris, Chremes, Antisthenes, Sannio,  
Charinus, Blepharo, Cleonymus, Stratilax, Curculio.

Iphi. Recludent ianuam illico (2). Stra. Illico? Quis est,  
Qui tanta cum audacia alienas impedit  
Domos? Iphi. Recludes. Stra. Importunus venis;  
Modo non vacat; opportuno tempore redi.  
Iphi. Effringam ergo fores, ni protinus aperis (3).  
Ble. Quid isthuc est? Interrogat quinam siet.  
Stra. Potis es dicere quinam sies? Iphi. Apparitor  
Demarchi cum ministris. Stra. Audin' quis siet?  
Ble. Quid heic negoti habet? Stra. Hic nempe sedulo  
Rogavit me de hisce hospitibus: anguis latet (4).  
Cur. Heu me! inter os et offam improbus intervenit (5).  
Ble. Curculio, accurre tu, vides qui siet.



- (1) Audiuntur rumores ad ostium.  
(2) Urget ostium vehementer.  
(3) Urget acrius impellendo ostium.  
(4) Secum logitur tacite.  
(5) Pallet haec dicens.

Cur. Genua labant. Salve, Iphicrates, quid hinc rogas?  
Iphi. Te ipsum rogo strenuum ducem, atque interpretem  
Aegyptiorum hominum. San. Heu! acta est fabula (1).  
Cur. Men! Hosce Aegyptios in diversorio  
Inveni; mox, cum me rogasset Blepharo,  
Ut ad se adducarem, adduxi. Num mentior,  
Blepharo? Ble. Verum narrat: non intellego  
Quid inquiras. Iphi. Nunc, mi bone, faxo, intellegas.  
Hi nempe sunt Aegyptii hospites tui (2)?  
Ble. Hi nempe. Iphi. Qua loquuntur lingua? Ble. Aegy-  
[ptia.  
Iphi. Papae! tun' hanc lignam noris? Ble. Minime quidem.  
Iphi. Quo pacto igitur auscultas? Ble. Hoc interprete.  
Iphi. Papae! noris etiam aegyptiacae colloqui?  
Cur. Tua id non interest. Iphi. An intersit, modo  
Videris. Eequod nomen? Ble. Psithacopsis hic,  
Colocynthopsis alter dicitur. Iphi. Probe.  
Dic Psithacopsis mihi, num quando noveris  
Quemdam Corinthii Chremetis filium  
Charinum nomine, qui paterna abit domo  
A quadam adductus parasitorum pessumo,  
Quem Sannionem dicunt? (3) Quid palles, puer?

- (1) Tacite haec dicit.  
(2) Aegyptios inspectans sedulo.  
(3) Charinus pallet et contremiscit.

(Ad proximum numerum).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.  
ROMAE — Ex officina Pacis, E. Cuggiani.


HOROLOGIUM  
ad Roskopfii rationem  
in germanicis Officinis fabricatum

## NUMISMA

iubente Consilio Centrali  
ad  
Pii PP. X Sacerd. Jubilaeum  
celebrandum

expresse descriptum et cusum

sociisque singulis Commentarii VOX URBIS dono concessum



CAESARIS TIRATELLI tabula  
baptismalem pompam in Campania referens (metr. 0,60 × 0,40)  
sociis omnibus qui novum unum acquisiverint  
gratuita donatur.

sociisque Commentarii Vox Urbis  
qui subnotatores novos  
acquisiverint duos  
praemio constitutum

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS  
COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCIX

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 6

ubique extra Italiam Libell. 9

(Doll. 1,80; Sh. 7; Mark. 7; Rubl. 4; Coron. 9)  
recto tramite mittendum

## ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis" possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

## Praemia sociis constituta:

## Ex subnotatoribus quisque

numisma, iubente Centrali Consilio ad  
Pii X P. M. Iubilaeum Sacerdotale cele-  
brandum expresse cusum et extra commercium habitum, dono accipiet.

**Novi subnotatores singuli** praeterea Vox Urbis kalendario fruentur,  
quod socii, qui iam superioribus annis ha-  
buerunt, obtinere simul poterunt, dummodo subnotationis pretio lib. 0,25 ad diribitorii expensas  
resarcendas addiderint.

**Qui socium novum acquisiverit unum,** eiusque subnotationis  
serit, gratis accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. 0,60 × 0,40 a celeberrimo Urbano S. Mi-  
chaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem. — Ab hoc  
tamen et sequentibus praemiis bibliopolae excipiuntur.

**Qui socios novos acquisiverit duos** ut supra, horologium sibi  
habebit in Germanicis of-  
ficiinis ad Roskopfii rationem nobis fabricatum.

**Qui socios novos acquisiverit tres** eorumque subnotationis pre-  
mium miserit, a pretio suo  
solvendo eximetur.

**Qui socios novos viginti quinque coegerit** ante Iulium  
mensem, di-  
midiatum premium itineris habebit ab Italiae finibus Romam usque, atque inde in dissectionis  
Italicam stationem, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

**Qui socios novos coegerit quinquaginta,** ut supra, eodem  
itinere gratis om-  
nino gaudebit.

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (Grand Hôtel de la Minerve)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optimam Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX

AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venumdantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive De proiecta latinitate. — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, ante solvendum, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - ROMAM



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

IN CANADA

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

"Kronika Rodzinna"

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1099, Rue Notre-Dame.